

verbum Sacramentale operandi vim obtinere, non ab exteriori sono vocis, quo auris obtunditur, sed ab ipso spirituali sensu, quo fides nutritur; non quasi necesse sit, verbum hoc actu credi, ut fortiat effectum; sed quia Catholicae fidei obiectum est: quasi diceret Augustinus verba hæc, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. sanctificandi vim non habent, quia aures feriant, sed quia maximum fidei nostræ Mysterium complectuntur, cuius virtute sanctificatur elementum.* Unde & subdit ibidem *in ipso verbo aliud est sonus transitus, aliud virtus manens*: seu, ut Theologi de Schola loquuntur, operatur verbum in Sacramento, quia creditur in actu signato, hoc est credi debet, ut obiectum fidei nostræ, non quia creditur in actu exercito.

Atque re ipsa sic est, in Hypothesi Catholico-rum: quamquam enim regenerandi vim tribuimus pauculis illis verbis, quæ baptismatis forma sunt, non præmissis quibusvis concionibus fidem suscipientium excitantibus; non ita tamen stipes fumus, ut credamus, eam illis regenerandi vim inesse, ratione soni seu prolatis sensibilis, qua aures obtunduntur, sed ratione sensus spiritualis, propter quem significandum verba sunt instruita, quæ fidei nostræ obiectum est: Etsi forte nec a Ministro, nec a suscipiente, re ipsa egeratur.

Quæ porro ab Augustino suscipiuntur Scripturae loca, *hoc est verbum fidei, quod predicamus, . . . fide purificans corda eorum*, de verbo quidem concionis intelliguntur, cui etiam suo modo mundandi vim Augustinus adseribit: verum non ad baptismum, de quo paulo antea loquebatur, referuntur, sed ad generale Tractatus illius institutum. Augustinus enim (quod observare operæ pretium est) interpretatur eorum loci dictum illud Christi D. *Joann. 15. Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis*: probandumque sibi sumit, omnia quæ spiritaliter mundantur, verbo mundari, vel extra Sacramentum per fidem predicantibus, vel etiam in Sacramentis per verborum Sacramentalium, quæ loco formæ adhibentur, efficaciam. Quare multa promissive congerit, ad alterutram instituti partem atinentia, quæ ad unicam Calvinisticæ & Lutherani promissive referunt, ut ipsam quoque justificationem, quæ Sacramento præstatur, verbo concionis, & prædicationis adscribat. Quapropter dum sub tractatus finem inquit, *totum hoc fit per verbum se quo Dominus ait, jam vos mundi estis propter sermonem, quod locutus sum vobis*; non ad solam baptismatis mundationem, sed ad generale totius tractatus institutum, sermonem dirigit, quasi diceret, *Vos mundi estis propter sermonem meum, sermo quem me concionante audistis, & credidistis, sermo quo in baptisate sanctificati estis.*

Cæterum, D. Augustinum de verbo concionis fidem excitante intelligi nullatenus posse, dum ait, virtutem aquæ baptismalis a verbo repeti, non quia dicitur, sed quia creditur: imo certo existimasse SS. Doctorem necesse non esse, ut verbum, quod baptismati regenerandi vim tribuit, aut a conferente, aut a suscipiente credatur, ut sit validum Sacramentum, duo sunt quæ palam aperteque convincant. Primo; quod ad conferentem atinet, non ignoravit Augustinus celeberrimam illam Controversiam de baptismato Hæreticorum, tertio Ecclesia Sæculo agitatum, ac postmodum in Conciliis Nicæno, & Arelatensi definitam; baptismatis scilicet ab hæretico ministro collatum perinde validum esse. Secundo: quod atinet ad suscipientem, non ignoravit idem SS. Doctor, non esse necessarium, ut ille ream fidem habeat, qui baptizatur, quo validum sit ba-

pismus Sacramentum: imo non esse id necessarium disertissime docet lib. 3. de Bapt. Cap. 14; cuius verba disertissima superiori lectione recitavi.

Si cui nostra hæc Augustini interpretatio non placet, aut certe nimis implexa, & obscura videatur, habimus aliam longe admodum faciliorem; Videlicet, Augustinum de baptismato non generatim, & universe loqui, sed de baptismato adultis collato disputare, & quidem quantum ad vim justificandi: atque idcirco mundandi vim baptismati ei verbo tribuere, non quia dicitur, sed quia creditur; quia ut mundetur, & justificetur adultus factis profecto non est, si consecrationis, & invocationis verba nude & simpliciter a Ministro proferantur, nisi etiam a suscipiente credatur; prima enim in adultis ad baptismum dispositio fides est, & quidem explicita Mysterii SS. Trinitatis. Atque ita procul hinc suum illud concionale verbum, a Calvinianis excogitatum, ex quo Sacramentum vim, & robur universum accipiat tam in parvulis, quam in adultis.

Extremo nos telo petunt Brentius, Kemnitius, aliique ex Hæreticorum grege confidiores: quoddam videlicet magicæ incantationis genus esse, dicunt, certa verba secreto demurmurata super aquam aut panem, aliudve hujusmodi mutum Elementum; atque ex iis verbis nude prolatis vim omnem justificandi, & consecrandi repetere.

At & id putissima calumnia est. Duo quippe sunt, quæ magicæ incantationibus inesse solent. Primum, quod putent nonnulli incantatores, certis verbis atque figuris naturam vim inditam esse, quæ admirandos effectus edant: atque hæc parte potissimum locum habet superstitio. Alterum, quod alii sibi fingunt, figuris ac verbis vim accedere ex pacto cum Dæmonibus inito; quo capite magicæ incantatio sita est. Porro Catholicorum nemo est, qui verbis illis pauculis, in Sacramentorum administratione proferti solitis, naturam vim a se ipsis inesse dicat; multo minus, qui ex inito cum dæmonibus pacto vim illis adscribat: cum id totum, quantum quantum est, ex Christi institutione repetamus.

Quare ingentis Calumniam rei sunt Calvinus lib. 4. Epist. Cap. 14. & Kemnitius in examinis Concilii Tridentini, parte 2. dum Romanæ Communione Professoribus imponunt, quasi qui solo verborum strepitu, sine sensu, Sacramenta perfici velint. Nusquam id nobis venit in mentem; sed in sensu ac significatione vim ponimus; eamque ex Christi institutione derivamus. Neque vero id exemplo vacat, etiam in veteri Testamento, ut Deus certa verba signave selegerit, quibus secretiorem virtutem indiderit, admirandos effectus producenti. Sic Numer. 5. in lege Zelotypiæ, certa verba designavit Deus, super aquas amaras proferenda, quibus mulieres adulteras interficiendi vim indidit si ab illis biberentur, non itidem continentem, atque pudicam. Sic Numer. 21. Serpentem Æneum in signum erigi iussit, quem qui aspicerent, a serpentum moribus salvarentur. Quid itaque veterat Christum Deum, absque magicæ incantationis umbra certis verbis vim inferere potuisset, ut admirandos Sacramentorum effectus ederent, non vi soni, aut numeri Sylabarum, quod illi stolidi calumniantur, sed sensu, divinæque Omnipotentis ac Misericordiae invocatione?

## PRÆLECTIO V.

*Num res & verba in Sacramentorum administratione usurpanda, ita sint a Christo determinata, ut nihil illis addere, nihil minuire ac mutare liceat?*

DE verbis rebusque a Christo D. præfinitis, quibus Sacramenta confici debeant hodierna luce disputatur; Lutheri ejusque Sæclatorum petulantiam fatis pro merito demirari non possum, qua Christi D. præscripta pro arbitrio immutari posse subulantur. Lutheri doctrina est, lib. de Captivo, *babil. de bapt. verba a Christo D. præfinita ad Sacramentorum celebrationem, salvo & integro Sacramento, mutari posse a Ministris ea conferentibus.*

Equidem Lutherum tam audacis commenti pœnituit post annos aliquot; illudque palam aperteque ejuravit anno 1535. in Homilia de Baptismo, sub idem tempus elucubrata. Verum hanc Magistri sui palidioniam, ut imprudenter ac temere decantaram improbarunt, Joannes Brentius in Catechismo, & Zuvinglius libr. de vera, & falsa religione; erroremque a Lutherò ejuratum, novis conatibus instaurarunt.

Et certe si prima Lutherana Sæclæ principia spectemus, iis profecto congenita est puerior illa Lutheri sententia; nec nisi a viro sui memorie revocari potuit, nisi posita quoque principia revocaret. Cum enim Sacramenta ideo potissimum instituta dicant Lutherani, ut fides suscipientium exciteretur ac foveatur, non ut gratia conferatur; nihil profecto interesse videtur, quibus rebus ac verbis administrarentur, modo iis excitari fides ex æquo possit in suscipientibus.

Utunque tamen ea propugnati primum erroris palinodia, a Lutherò decantata sit, seu fulte, seu prudenter, de quo parum solliciti sumus; ad veris omnino vestigiis incedit Ecclesia Catholica, quæ res ac verba, quibus novæ Legis Sacramenta perficiuntur, ita a Christo determinata fuisse docet, ut a mortalium nemine possint immutari salvo & integro Sacramento.

Et certe, quæ in lege veteri Sacramenta circumferantur, ita quoad ritum, & Cæremomas præfinita a Deo erant, ut quidpiam illis addere vel detrabere nefas esset; quanto magis quæ in nova lege sunt instituta, cum ista illis longe sint perfectiora, atque ad nobiliores effectus edendos, ab Authore destinata? Rursus cum gratiæ producendæ instrumenta sint, novæ Legis Sacramenta, illius duntaxat est, res ac verba, quibus utendum est, definire, atque præfigere, cuius est gratiam elargiri. Id vero ita Christi D. proprium est, ut Blasphemia genus sit, ea virtute atque auctoritate quemquam hominum donare velle. Nemo itaque potest ea pro arbitrio immutare, nisi irritato, casso, & annullato Sacramento. Legi ea de re possunt, S. Irenæus lib. 1. de Baptismo, S. Cyprianus Epist. ad Iubajanum S. Athanasius Sermon. 3. contra Arianos, D. Augustinus, lib. 3. de bapt. contra Donatistas Cap. 25., & Concilium Arelatense I. Can. 8. ubi rerum verborumque in Sacramentis administrandis adhibendum immutabilitatem agnoscunt.

Quæ cum ita sint, tamquam ab fura ac etiam erronea rejicienda venit, quorundam Canonistarum, Felisi, scilicet, Decii, Rebuffi Sententia, qui R. Pontificem, nulla adhibita materia vel forma Sacramentali, a Christo D. præfinita, Sacerdotem inaugurare, & ordinare posse subulantur, dicendo duntaxat, *Esto Sacerdos in Ecclesia Dei.*

Equo vero pacto ferret tunc a R. Pontifice Serry Tom. IV.

hujusmodi ordinatio, dicendo duntaxat *Esto Sacerdos in Ecclesia Dei?* Vel enim id fieret, quia Pontifex produceret in homine illo effectum Sacramenti, sine Sacramento; hoc est Characterem Sacerdotalem imprimeret, sine Sacerdotali ordinatione? vel quia verba hæc *Esto Sacerdos in Ecclesia Dei* eveheret ad dignitatem Sacramenti? At utrumque excedit R. Pontificis potestatem.

Nec advertunt projecti illi R. Pontifici potestatis adulatores, si id R. Pontifici tribuatur; idem quoque fore tribuendum cuiusvis Episcopo. Ratio in promptu est. Inauguratio enim seu ordinatione Sacerdotis competit Episcopo, non ratione potestatis jurisdictionis, sed ratione potestatis Ordinis. Porro eadem est cuiusvis Episcopi potestas ordinis, ac Romani Pontificis. Id ergo certum indubitatumque, non posse summum Pontificem, Sacerdotem aliiquem inaugurare, non adhibito Ordinis Sacramento, seu non adhibita materia, & forma a Christo D. præfinita ad Sacramentum Ordinis consociendum.

Jam vero ne quis præpostere accipiat certam illam atque constantem Ecclesiæ doctrinam, de verborum a Christo D. præfinitorum mutatione a nemine faciendam; exponere necesse est, quanam mutatio verborum Sacramentum irritum faciat, quanam non faciat. Quamquam enim quæcumque verborum mutatio sacrilega sit, & illicita, non omnis tamen irritat Sacramentum.

Quod ut ego studiose juvenuti accuratius exponam, illud statim principi loco pono: Dum verborum a Christo definitorum mutatio accidentaliter duntaxat est, & formæ præscriptæ sensum non interimit (quamquam sit illa semper illicita) nequaquam tamen irritat Sacramentum. Ubi vero essentialis mutatio est, & formæ sensum interimit, Sacramentum irritum facit. Verum quia illud ipsum dijudicare difficillimum est, quoniam essentialis illa mutatio sit, aut solum accidentaria; quoniam formæ sensum immutet, aut non immutet; Idcirco varios casus, illosque illustres ob oculis ponam, ex quorum enodatione ac solutione, certum ea de re iudicium haberi possit. Primus igitur casus hic esto; Si mutatio seu depravatio corruptioque verborum Sacramentalium ex ignorantia duntaxat Idiomatis contingat, fiatque bono animo, ac minime malo, fraudifuge neccia simplicitate; accidentaliter mutatio sentenda est, quæ formæ sensum idcirco non interimit; atque ita non irritat Sacramentum. Sententiam ea in specie tulit Zacharias R. P. a Bonifacio Episcopo Moguntino consultus, occasione ignari, rusticique Presbyteri, qui puerum baptizaverat, in nomine Patria, & Filia, & Spiritu Sancto.

Extat Zachariæ Rescriptum apud Gratianum Cap. *Retulerunt, de Consecratione dist. 4.* his verbis: *Retulerunt nuncios sui, quod fuerit in Provincia tua Sacerdos, qui latinam linguam penitus ignorabat, & dum baptizaret, nesciens latini eloqui, infringens linguam diceret. Ego te baptizo in nomine Patria, ac Filia, & Spiritu Sancto: ac per hoc tua fraternitas consideravit eos rebaptizare; sed Sanctissime frater, si ille qui sic baptizavit, non errorem introducens, aut hæresim, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis, infringendo linguam, ut supra diximus, baptizans ita dixisset, non postumus consentire, ut demò rebaptizetur.* Sensit itaque Zacharias R. P. validum hujusmodi baptismatis, ea verborum corruptela collatum.

Neque obest si dicas, verba hæc ita corrupte prolata, *Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritu Sancto* nihil omnino significare. Quamquam enim virtute communis impositionis, nihil omnino significant, accipiuntur tamen ut significancia, ex accomodatione, & intentione proferen-

ferentis. Et ideo licet sonus sensibilis verborum immutetur, remanet tamen idem sensus, ex intentione pronunciantis. Idem enim significare voluit ignarus ille Sacerdos quod alii periti, dum ajunt: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. &c.* Quemadmodum & balbus Sacerdos, qui ex linguae crassitie, litteram liquidam R. pronuntiare non potest, idem omnino sibi vult dum ait in Consecratione Eucharistica, *hoc est Corpus meum*, ac ego dum dico *hoc est corpus meum*: tamen *Corpus* nullius significationis vocabulum sit.

Secundo. Alter Casus hic est ex sese aliquantulum difficilior: Si mutatio verborum haresim praesferat, quandoque formam essentialiter mutat, quandoque accidentaliter tantum; quandoque formae sensum variat, quandoque non variat. Quod utique caute & accurate est distinguendum. Nempe si haresis verbis Sacramentalibus addita atque inserta, illa ipsa verba Sacramentalia vere, ac proprie afficiat, & ad illa vere ac proprie referatur: Illorum tunc sensum essentialiter mutat, inscit atque corrumpt; atque ita immutatio hujusmodi irritat Sacramentum.

Qua ratione Concilium Nicenum I. nullum irritumque pronuntiavit Baptisma Paulianistarum, baptizantium: *In nomine Patris majoris, & Filii minoris, & Spiritus Sancti*: Quia error ille Sacramentalibus verbis insertus additusque, quo Pater dicitur major, Filius minor, baptismatis formam afficiat, illiusque significationem omnino destruit: quia Pater in divinis definit esse Pater, si major est Filius; Filius definit esse Filius, si minor est Pater. Verum si error verbis Sacramentalibus insertus, illa ipsa verba proprie non afficiat, sed eis veluti ab extrinseco adiungatur, illiusque significationem minime destruat, formam essentialiter non immutat, atque ideocirco non irritat Sacramentum. Qua de causa nonnullorum Ubiquetiorum Eucharistica Consecratio his verbis facta, *hoc est Corpus meum, quod est ubique locorum*, tamen impia, atque sacrilega, valida tamen a Pio V. iudicata est: quia error ille quo Christi corpus ubique dicitur esse, impertinens omnino est formae Sacramenti Eucharisticae, eidemque ab extrinseco, & ex accidente duntaxat adiungitur; illiusque significationem minime destruit: Cum Christi Corpus perinde Eucharisticum Corpus esset, etiam ubique locorum esset. Eadem quoque ratione ante annos circiter 40. sub Alexandro VIII. Romae dum esset a sacris fidei Quaesitoribus, validum pronuntiatum est baptisma viri cuiusdam Calviniani ad Catholicam fidem conversi, qui in sua quondam secula, a suito Ministro, ita fuerat baptizatus: *Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. auctoritate mihi a Calvino concessa*; validum inquam, pronuntiatum est baptisma illud, quia tamen erronea esset atque peritura additio illa verbis Sacramentalibus facta; exotica tamen erat, impertinens, verborumque Sacramentalium sensum minime destruebat.

Tertius casus hic est. Si Sacramentalibus verbis superstitiosa quadam additio fiat, seu superstitiosa Clausula, seu formula adiungatur; quandoque quidem irritat Sacramentum, quandoque non irritat. Nempe si superstitiosa formula seu Clausula, Sacramentalium verborum sensum interimit, irritat Sacramentum, si fecus, non irritat. Utriusque Clausulae superstitiosae exemplum, sub Urbano VIII. videre fuit. Prioris quidem in ignaro quodam, & superstitioso Parocho Mediolanensi; qui pro sua in B. Virginem imprudenti & inconsulta pietate, baptizare solitus erat, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S., & B. Mariae Virginis, Quae ideocirco baptismata ab eo collata, nulla at-

que irrita sunt iudicata, ac propterea iteranda; quia germanus facti additamenti sensus erat, baptismata vim suam perinde repetere ex invocatione Deiparae Virginis, ac ex invocatione SS. Trinitatis; quod vera religio non patitur. De quocumque etenim Sancto, ac de ipsa quoque Deipara Virgine dici debet, quod de se ipso ajebat Apostolus; 1. ad Cor. 1. *Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Alterius superstitiosae formulae exemplum in altero haud ita imprudenti Parocho videre fuit, qui suos quandoque sic baptizabat. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S., & Beata Virgo te adjuvet*. Quae quidem baptismata tamen si imprudenter collata sunt iudicata, justumque sit Parocho, ut ab iis abstineret in posterum; rata tamen validaque sunt habita: propterea quod addita illa Sacramentali formae Clausula *Beata Virgo te adjuvet*, Verborum Sacramentalium significationem minime laederet.

Quartus casus est, si quorundam verborum Sacramentalium repetitio fiat. Ubi enim repetitio legitimum formae sensum non vitiat atque interimit, Sacramentum nequaquam officit; si fecus, officit. Quare Stephanus III. Rom. Pont. rustici cujusdam Sacerdotis baptismata probavit, ut validum, hinc verbis ab ipso collatum: *In nomine Patris te baptizo, & Filii te baptizo, & Spiritus S. te baptizo*; probavit, inquam, ut validum; quia hujusmodi repetitio formae baptismatis sensum nullatenus vitiat. Cum enim tunc temporis triplex in baptismate fieret, baptizantis actus ter in forma exprimi poterat, salvo, & integro Sacramentum.

De altera repetitione formae sensum interimitte, longe aliter pronuntiavit Innocentius IV. occasione cuiusdam Sacerdotis ita de more baptizantis. *Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus S.* Baptisma hujusmodi si minus nullum, ac certe dubium iudicavit Innocentius IV. Quia ratio in nomine in forma baptismatis, potestatem auctoritatemque significat: atque ita dubium esse potest, an qui ter in nomine dixerat baptizandum, diversam in tribus personis potestatem auctoritatemque dicere voluisset; quod Ariamam Haresim saperet, & formae Sacramentalis sensum insceret, atque corrumperet.

Quintus casus superest, de quo nihil ab Ecclesia sancitum lego; imo de quo ad praesens Theologi de Schola digladiantur. Num scilicet ratum validamque staret baptismatis Sacramentum, si facta Synonimorum nominum mutatione conferretur: E. G. si quis baptizaret; *In nomine genitoris genitricis & procedentis ab utroque*. Qua de re tamen hinc inde disputetur in Scholis; Ego tamen quantum scio, quantum capio, stare Sacramentum baptismatis ratum & integrum, minime dubitaverim. Cum enim Synonyma omnino nomina sint, idemque plane sonet Genitor, ac Pater; idem genitus ac filius, idem procedens ab utroque ac Spiritus Sanctus; formae Sacramentalis sensum minime vitiat hujusmodi mutatio. Unde & videmus Ecclesiam hujusmodi nomina in publicis precibus usurpare, in Sanctissimae Trinitatis invocatione, *Genitori genitricique laus, & jubilatio procedenti ab utroque compar sit laudatio*; & alibi saepe.

Neque valet in oppositum quod obijciunt aliqui; Vocabula haec, *genitor genitus & procedens*, significare actus notiones divinarum personarum, non ipsas personas. Falsum id est. Equidem generatio activa, generatio passiva, Spiritus &c. significant actus notiones divinarum Personarum; at genitor, genitus, & procedens seu spiritus significant terminos actuum notionalium, qui ter-

mini Personae ipsae sunt, Pater scilicet, Filius, & Spiritus S.

Atque haec de rebus, & verbis, quibus Sacramenta constare dicuntur, factis mihi dicta videntur. Reliquum est, ut de Ministris, quibus & Sacramenta perficiuntur, in sequentibus agamus.

Num quilibet homo baptismatis abque nova consecratione quoruncumque Sacramentorum Minister esse possit? Num scilicet, quilibet homo sacro baptismate initiatus, absque nova inauguratione, seu consecratione, quaecumque Sacramenta ministrare possit?

Diaboli Regnum, hujusce quaestionis occasione, intra semetipsum dissectum video; Lutheranos nimirum & Calvinistas in extremos hinc inde errores abeuntes. Lutherus quippe *lib. de Captiv. Babil. Cap. de ordine*, id principii loco ponit, quoslibet homines cujusvis sexus supponantur, modo sacro baptismate tincti sint, ex aequo Sacerdotes esse, perinde Eucharistiam posse conferre, caeteraque Sacerdotum officia valide obire: Non licere tamen unicuique hac sua potestate uti, ne confusio in Christiana Republica fieret; sed iis tantum id permittitur esse, qui ad sacra munia obeunda, a communitate delegati sunt. Id ipsum variis Scripturarum Oraculis probandum sibi sumit Lutherus in libro de *abroganda Missa*; ac tum de- mura *libro ad Pragenfes*, pro instituendis Ecclesiae Ministris elaborato anno 1523. Sententiam hanc de gravi supercilio fundit: *Sacerdos in novo praesertim Testamento non fit, sed nascitur; non ordinatur, sed creatur: Nascitur autem in Baptismo, suntque profus omnes Christiani, Sacerdotes*. Quid plura? *Libro de Missa privata, & Unctione Sacerdotum*, quem anno 1534. elucubravimus, Sacerdotalem auctoritatem latius pretendit; nec modo eam quibusvis baptismate initiatis adjudicat, sed plane omnibus, ac ipsi etiam Diabolo; modo ritum a Christo Domino institutum observaret. *Ego non dicam, inquit, quod Papisse dicunt, nullum Angelorum, ne Mariam quidem consecrare posse. Sed contra dico, si Diabolus ipse veniret in specie hominis & Sacerdotis officio, juxta institutum a Christo ritum, fingeretur, efficacia Sacramenta conferret.* Ita Lutherus novae reformationis Architectus.

Calvinus e contra extremo profus errore laborans, in *Antidoto contra Concilium Trident. ad Canon. Sess. 7.* non modo baptizatos omnes ex aequo Sacerdotes esse disseverat omniumque Sacramentorum administratores, sed ita sacra munia obire possint, specialiter unctis adjudicat, ut nequidem baptizandi potestatem in Laicis agnoscat, ubi extrema necessitas urget.

Stat inter duos latrones crucifixa veritas, ut cum Tertulliano loquar: inter Lutherum & Calvinum, Ecclesiae Catholicae dogma. Caeterum quia praesentis instituti non est, calamitarum errorem exagitare, in quem, ubi de baptismo speciatim agemus, depugnabimus, in Lutherum duntaxat in praesentiarum arma convertimus.

Quare Catholica propositio prima haec est contra Lutherum, *solus homo Sacramentorum minister esse potest*. Solis quippe hominibus facta Mysteria in scripturis committuntur. *Omnis Pontifex ab hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quae sunt ad Deum*, inquit Apostolus ad Hebraeos 1. Similiter de solis hominibus dictum 1. Cor. 4. *Ministras nos fecit novi Testamenti, & dispensatores Mysteriorum Dei*. Solis hominibus a Christo dictum, *hoc facite in meam Commemorationem* Lucae 22. *et quorum remisistis peccata remittuntur eis*. Joan. 20. Quae loca perpendens D. Augustinus *lib. 3. de Sacer. Edit. Parisiis 1546*. Angelis negatur esse ait, quod hominibus concessum est. Et vero cum res naturales, uti Sacramen-

Serry Tom. IV.

tum materiae adhiberi soleant, necesse profecto est ut verba quoque naturalia pro formis adhibeantur: porro solus homo vere ac naturaliter loquitur, cum & locutio corporis viventis actus fit, organique naturalibus utentis. Solus igitur homo Sacramenta potest administrare.

Caeterum qua ratione Deus non ita virtutem suam Sacramentis alligavit, quin possit sine ipsis illorum effectus edere: Ita conferendo potestatem Sacramentorum, non ita hominibus Ecclesiae Ministris largitus est; quin Angelis ministrandorum Sacramentorum facultatem largiri possit. Quare quia boni Angeli Nuntii sunt veritatis, si aliud Sacramentale Ministerium a bonis Angelis obiri contingeret, esset ratum habendum: quia Divina voluntate factum censendum esset: Quo pacto S. Amphilochius Episcopus ordinatus ab Angelis legitur, apud Nicephorum *lib. 11. Hist. Eccles. cap. 20*. illiusque ordinatio ab Episcopis Comprovincialibus rata est habita. Si vero Demones, qui Spiritus mendacii sunt, aliquod Sacramentale Ministerium obirent, non esset ratum habendum, sed iterandum omnino; quod nimirum praesumi non possit, id eos ex Dei delegatione peregrisse. Ita doctor Anglicus 3. p. q. 64. *art. 7. Venetiis 1593*.

Neque movet, quod in sui Commentii praefidium Lutherus obtendit: Sacramentorum efficaciam ex qualitate Ministrum minime pendere: adeoque posse quamcumque creaturam rationalem, ac etiam Diabolum Sacramentum administrare. Non id inquam movet. Quamquam enim a qualitate, ut ita dicam accidentali atque morali Ministrum minime pendeat Sacramentorum efficacia, a fide nimirum & pietate; a qualitate nihilominus essentiali omnino pendet: qualis inter omnes prima haec est, ut sit homo.

Altera propositio Catholica, Lutheranorum errori adversa haec est: *Esti solus homo, Sacramentorum sit administer, (uti jam satis ostensum est,) non tamen omnis homo, sacro etiam Baptismate initiatus, omnium Ecclesiae Sacramentorum Minister est, ut somniat Lutherus; sed qui ad id peculiaribus virtutibus initiatur*.

Ex sacris Litteris propositio Catholica sumpta est. *Nemo*, inquit *Apostolus ad Hebraeos 5.* *assumpsit sibi honorem* (de honore porro Sacerdotali loquitur,) *nisi qui vocatur a Deo, tanquam Aaron*. Non igitur omnes qui de populo Dei sunt, hoc ipso sunt Sacerdotes, sed qui vocantur a Deo: vocatio porro sacra inunctione seu ordinatione fit.

Neque vero reponi potest, Apostolum de exercitio duntaxat Sacerdotii intelligendum esse, non de ipsomet Sacerdotio; quasi omnes Christiani ex vi sacri baptismatis, Sacerdotes re ipsa sint; nec tamen Sacerdotum munia obire possint, nisi accedente vocatione. Effugium quippe praecudit Aaron exemplum ab Apostolo positum. Aaron enim antequam vocaretur a Deo, nec Sacerdotii usum, nec Sacerdotium ipsum habebat. Igitur Sacerdotium vocatione suscepit: accipiuntque in exemplo ceteri omnes. Praecudit etiam effugium, quod de Christo subiungit Apostolus, in sua assertionis argumentum, *sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret*. Non ergo fecundum Apostolum, ante clarificationem, qua sacra inunctione fit, Pontifex est, non tantum Pontificatum non exercet.

Adhuc illud eidem statuto dogmati non pauca ejusdem Apostoli loca ad Rom. 12. 1. *ad Cor. item 12. ad Ephef. 4.* ubi diversa esse in Ecclesia Ministeria demonstrat a Spiritu S. uti placuit distributa; nec omnia omnibus, sed singula singulis convenire, & *divisiones operationum sunt*.

A a a 2

idem

idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus . . . ipse dedit quosdam quidem Apostolos ; quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores . . . Nunquid omnes Apostoli ? nunquid omnes Prophetæ ? nunquid omnes Doctores . . . aliæque id genus ; non igitur ministratio omnium est, qui in Ecclesia sunt, sed aliquorum duntaxat de Ecclesia. Num forte Lutherus reponet de usu Ministratorum Apostolorum agere, quasi solus usus Ministerii divisus sit in Ecclesia, non tamen ministrandi potestas ? At si ita est, consequens erit, ut idem perinde de Apóstolatu, de Prophetia, de Doctrina dicatur ; ut nimirum solus usus Apóstolatus, Prophetiæ atque Doctrinæ in Ecclesia divisus sit, non Apóstolatus ipse, non Prophetia. Quandoquidem perinde de iis, ac de Ministratoribus Apóstolus loquitur.

Suffragatur statuto dogmati univèrsa Patrum Traditio, quorum suffragia minutatim percensere, longum esset. Tantum quippe abest, ut quolibet baptismate initiatos, Sacerdotes esse velint ; solamque Ecclesiæ deputationem desiderari dicant, ut quidam præ ceteris sacra munia obeant. Quia potius Sacerdotes specialibus consecrationibus, ritibus, inunctionibus inaugurandos decernunt ; illosque ita inauguratos a plebe segregant. Legendi præ ceteris S. Ignatius Martyr in *Epistolis ad Ephesios, Magnesianos, Traillianos, & Philadelphios* : Tertullianus de *Prescriptis*, cap. 41. S. Cyprianus *lib. de lapsis & Epist. 34. 35. 51.* Optatus Milevitanus (*a*) *lib. 2.* Epiphanius, *Heresi. 49. (b)* S. Joannes Chrysostomus *lib. 3. de Sacerd.* S. Hieronymus *Epist. 1. ad Eliadum*, & S. Augustinus *Epist. 181. ad Honoratum*.

Accedit veteris Legis exemplum. Quamquam enim illius Sacramenta inferioris admodum fortis essent, nec nisi egea elementa censerentur, illorum tamen administrandorum potestas non omnibus promiscue inerat, sed aliquibus a Deo specialiter designatis. Hinc & Osias Rex Lepra punitus est, quod Sacerdotalia munera usurpasset 2. *Paralip. 26.* Quanto minus igitur novæ Legis Sacerdotium omnibus commune erit ? Sentio respondurum Lutherum, nec se quoque id velle, ut homines omnes in nova lege Sacerdotes sint, sed illos tantum, qui Sacerdotes baptismate facti sunt. Verum repono ego : quid ni quoque in veteri lege, sin minus omnes, at saltem quotquot circumcisi erant, Sacerdotes etiam fierent.

Tantum enim dignitatis conferre circumcisio poterat, ad vetera sacrificia offerenda, quantum baptismus conferre dicitur a Luthero ad Christum incrementum Sacrificio offerendum. Sed & insulsum Sophistam se præbet Martinus Lutherus, dum Sacerdotalium dignitatem suscepto Baptismate adnexam ait, propterea quod quotquot baptismate initiantur, unquantur gratia Spiritus S. quasi vero non alia unctio illa sit, qua quis regeneratur in Christo, alia qua conferendorum Sacramentorum potestas habetur. Adde ex hac quoque Lutheri sententia consequens fore, illos saltem Sacerdotalium Potestatem vi baptismatis non habituros, qui apposito obice regenerationis gratiam non acciperent : Imo & a Sacerdotali potestate casuros illos, qui susceptam semel regenerationis gratiam amitterent. Jam quod ad Mulieres attinet, quas perinde Sacramentorum administrandorum capaces esse, Lutherus effudit, propterea quod & ipse sint baptizate : expressa est Pauli sententia in oppositum 1. *ad Cor. 14. Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit : si quid autem vo-*

lunt discere, domi viros suos interrogent, turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia. Quod idem ad *Ephes. 5. & 1. ad Tim. 2.* rursus inculcat. Aperta quoque ab orbis condito ad hanc usque diem consuetudo repugnat ; Nulla enim lex passa est, nulla ætas, ut Mulieres Sacerdotio fungerentur. Ab Adamo ad Moysen, capita familiarium sacrificia offerbant, nulla mulier. A Moysè ad Christum, Aaronicæ stirpis masculi, seclusus feminis, altaribus præsto erant. A Christo ad hanc usque diem, nulla quam sciam mulier sacris operata est, nisi forte apud Quintilianos, & Pepuzenos ; quos ob id ut hæreticos notavit Ecclesia. Omnes ab Altaribus femotæ, saltem ex præscripto legum. Quin etiam prophanae gentes, Idolorum cultui mancipatæ, mulieres ab Altaribus, tamquam rei sacre faciendæ minus idoneas, submoverunt, ex ipso naturæ sensu, quod liquet, sexum muliebrem subjectionis sexum esse ; cum contra Sacerdos Populi caput esse debeat.

Lutherus mortalium primus, Mulieres, ex facri baptismatis initiatione Sacerdotes esse commentus est : forte ut conjugi suæ, seu potius metretici, gratificari hoc modo posset.

Neque vero ab ingenti absurdo vindicari potest, quod ad suum illud systema temperandum subjungit Lutherus ; Nempe Mulieres baptizatas, Sacerdotes quidem re ipsa esse, vi suscepti baptismatis, quemadmodum & homines ipsi ; sua tamen potestate uti nunquam posse ; quia nunquam illis potestatis Sacerdotalis usum concedit Ecclesia ; propterea quod ipsa jure naturali sint irregulares. Absonum sane responsum : si enim ita res esset, sin minus licite, at saltem valide Sacerdotalia munia obire baptizatae mulieres possent. Quisquis enim veram ac physicam habet faciendi operis potestatem, valide facit quandocumque facit ; licet illicite, si forte superiori auctoritate prohibeatur. Equis autem nisi plane desipiat, sibi finxerit, Mulieres baptizatas in Ecclesia sacra munia obire valide posse, quæ ipso naturæ jure a sacris Ministeriis procul arcentur. Ex quo enim jus naturæ repugnat, & obstat, ne valide quidem fieri aliquid potest.

Reponet forte Lutherus, juxta Ecclesiæ Romanæ principia, Sacerdotem ordinatione inauguratum, peccatorum dimitteudorum potestate donatum esse iis verbis ab Episcopo proferri solitis, nec tamen valide posse absolvere, nisi hujus suæ potestatis usum nova Ordinarii sui licentia perceperit. Atque ita pari jure, nec valide quidem munia Sacerdotis obire posse, qui suscepti Baptismi virtute Sacerdotes re ipsa sunt, donec ad ea obeunda munia ab Ecclesia vocentur. At non advertit imprudens, alios Sacerdotum actus esse, qui ordinis duntaxat sint, alios qui ordinis simul sint & Jurisdictionis. Solvendorum peccatorum Auctoritas, Jurisdictionis, & ordinis simul est : quia absolvere non possunt nisi subditos. Quare donec ex Ordinarii facultate atque licentia, accesserit Jurisdictionis, qua fideles eis subditi fiant ; absolutio attentata, nedum illicita, verum etiam nulla est : at contra Christi Corporis consecratio Jurisdictionis actus nequaquam est, sed unius duntaxat ordinis. Quare si Lutheri Systema veritate niteretur, quisquis non deputatus ab Ecclesia consecraret, Sacramentum valide perageret, licet illicite. Ut plane in Ecclesia Romana contendimus Sacerdotem suspensum ab Executione munerum & Officiorum, illicite quidem, sed valide consecraturum.

PRÆ-

## PRÆLECTIO VI.

Multa atque graviora, que in sui confirmationem erroris Lutherus obtrudit, consulantur.

Quam multis validisque momentis Lutherano-  
rum errore in antea lectione confutaverim, meminisse vos puto. Errorem dico persatuum & insulsum, quo omnes cuiusvis etiam sexus homines, modo sacro baptismate tincti sint, ex æquo Sacerdotes esse comminiscuntur. Non licere tamen unicuique, sacra obire munia, ne consilio in republica ferret. Præstat in præsentia resellere, quod in sui præsidium erroris obtrudit. Lutherus triplici momentorum genere pugnat, *libro de abroganda Missa*, nec non etiam *libro de Ministeriis infirmandis*. Primo quidem generatim ex sacris Litteris probare aggreditur, fideles omnes, ex quo sunt sacro baptismate initiati, Sacerdotes esse, nec ulla nova egere inauguratione ; Secundo : per singula Sacerdotum officia decurrens, ea omniumque fidelium convenire contendit. Tertio : speciatim evincere satagit, Sacerdotale Ministerium mulieribus etiam ex æquo posse competere. Nos ingentem hanc argumentorum struem demoliemur ; & quam procul a veritate novator aberit, ad oculum demonstrabimus.

Quod primum caput interest ; tria maxime producit Scripturarum Oracula, quæ universim ostendant, fideles omnes re ipsa esse Sacerdotes. Primum ex *Epist. 1. D. Petri cap. 2.* desumptum est, ubi singulos fideles alloquens Apostolorum Princeps, ita habet : *Ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerre spirituales Hostias, acceptabiles Deo per Christum* : Ac paucis interjectis ; *Vos autem genus electum, Regale Sacerdotium, gens sancta, Populus acquisitionis*. Quibus verbis, Sacerdotium, & hostiarum offerendarum potestas singulis fidelibus tribuuntur. Alterum ex *Capite 5. Apocalypsis* repetit, ubi fideles ita Deum alloquentes inducuntur : *secisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes*. Ultimum ex *Cap. 20.* ejusdem Apocalypsis petitur est, ubi de fidelibus universis promiscue legitur, *erunt Sacerdotes Dei, & Christi ejus*. En primam Lutherani erroris basim : Verum minus firmam ac stabilem. Nihil enim æque clarum & manifestum, quam de spiritali duntaxat Sacerdotio, nec non de spiritalium hostiarum offerendarum potestate hic agi ; qua videlicet quilibet Christianus, ob accepta beneficia laudes Deo persolvit, & gratias agit : Cordis Sacrificium ; pro delictis admittit offerre, juxta illud *Psal. 50. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus* ; Non de Sacerdotio sermo est stricto sensu accepto, & hierarchico ; cuius muneris est, verum Christianæ legis sacrificium, Eucharisticum offerre ; eandemque cateraque Sacramenta Christianis administrare ; Ecclesiam regere, Dei verbum prædicare. Sane eo duntaxat sensu locutum esse Petrum Apóstolum, cuius suffragium Lutherus ostentat, tria præsertim evincunt. Primum ; quod discretissimis verbis dicit *offerre spirituales hostias*, quo vel uno verbo, de spiritali duntaxat Sacerdotio sermonem habere plus satis indicat. Secundum ; quod Regnum æque ac Sacerdotium fidelibus adjudicet, *regale*, inquit, *Sacerdotium* : qua itaque ratione spirituale duntaxat regnum fidelibus tribuit, illud scilicet, quo vitii & cupiditatibus dominatur ; non verum ac proprio sensu acceptum, quo gentibus, ac nationibus imperitent ; ita non nisi spirituale illis Sacerdotium adjudicavit. Tertium, illudque maxime ponderandum ; quod hæc ipsa verba D. Pe-

tri ex *Cap. 19.* Exodi excerpta sicut, & a Deo ipso universo Judaico populo olim dicta fuerint : *Vos eritis mihi in regnum Sacerdotale, & gens sancta*. Si ergo stricto sensu accipienda forent, ut videlicet verum propriumque Sacerdotium designarent, consequens profecto esset, ut in veteri quoque lege Israelitæ omnes veri Sacerdotes existissent ; quod ne Lutherus quidem admittit, nec admittere vero posset, tamen insigniter esset imprudens, cum Sacerdotium uni Leviticæ Tribui conceditum esset. Eodem sensu figurato accipi oportere laudata duo Apocalypsis oracula a Luthero citata, perinde certum. Enim vero, non de fidelibus mortalem vitam agentibus, sed jam cum Christo regnantibus differit dilectus Apóstolus in Apocalypsi ; ut patet res ipsa per sese : porro ex quo fideles Cælo additi sunt, non nisi spirituales hostias, laudes, gratiarum actiones offerunt, etiamque temporalis Sacerdotii munia obeunt. Perperam ergo atque insulse proflus duo illa Apocalypsis oracula detorsit Lutherus, suoque (quod peregrinum omnino est) accomodavit instituto. Addiderim nec immerito utrumque Apóstolum & Petrum in Epistola, & Joannem in Apocalypsi, de justis duntaxat sermonem habere, non de quibusvis promiscue fidelibus, quos inter tot insignes peccatores exiunt. Quamquam ergo verum illis propriumque Sacerdotium adjudicarent, nullo tamen pacto extendi posset, quolibet fideles, ex quo sacro baptismate sunt initiati, Sacerdotali auctoritate donatos esse, sed ut ut maxime justos omnes.

Primo illo generalium erroris sui probationum officio exsolutus Martinus Lutherus, per singula Sacerdotum officia decurrit ; eaque unicuique fidelium convenire probat. Quare Sacerdotum Evangelicæ legis officia ponit numero sex : Absolvere, baptizare, consecrare, de Doctrina judicare, orare pro populo, sacrificium offerre ; de quibus dicitur ex ordine ; Verum adeo præpositæ, & insulse, ut ne micam falis in tota ejus argutatione liceat invenire.

Possit unumquemque fidelem absolvere a peccatis ex illo *Matth. 18.* probandum aggreditur : *quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælis ; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælis*. Quasi vero, isthæc unicuique fidelium dicta essent, an num verius solis Apóstolis ? Imo solis Apóstolis a Christo sunt dicta.

Baptizandi facultatem omnibus promiscue communem esse ex ipsa Romanæ Ecclesiæ confessione demonstrat. Recte quidem ; at non advertit incautus, conferendi baptismatis potestatem, quæ Sacerdotibus propria dicitur, ordinariam esse, & cum solemnitate exercendam, qualem certe omnibus promiscue communem esse, Ecclesia Romana non docet. Et vero si quid ex Ecclesiæ Romanæ professione posset extundi, quod suo illi fignento adfaveret ; æquo jure colligeret, non modo quolibet Baptizatos, sed & Judæos, & Ethnicos, Sacerdotes quoque esse : quippe quos baptisma, urgente necessitate, conferre posse doceamus.

Ad sacrificii offerendi facultatem, quibusvis fidelibus communem, detorqueat illud Apóstoli ad *Rom. 12. sacrificium corporis nostræ per mortificationem virtutum* : at quam sit istud imperite detortum, nemo non videt. An enim istud sacrificium est verum ac proprium, ad quod veri proprieque legis Evangelicæ Sacerdotes destinantur ? absit. Mortificationis sacrificium, nulla nova oblata hostia offertur, quam semetipsum, nullo novo altari consecratur, nisi cordis & animæ : Quare & quisque in illo offerendo sibi ipsi Sacerdos est. Verum alterius profecto generis est, legis Evan-

gelicæ

gelicae sacrificium, quo Christus immaculata Hostia, omnipotenti Deo offertur, incruento quidem, sed vero tamen modo, ab iis solum, qui speciali ad id inunctione consecrantur.

Potestatem de doctrina iudicandi singulis fidelibus vendicat, eo Christi D. verbo nixus, quo singulis praecepit *Matt. 7. ut attendant a falsis Prophetis*; alisque passim Scripturarum oraculis, quibus privatum spiritum unicuique sufficere ad veritates fidei dijudicandas, probare solent nostrorum temporum Sectarii. Verum tamen unusquisque a falsis Prophetis cavere debeat, non illico doctrinae iudex & arbiter est: ea quippe cautela a privata prudentia proficiscitur, doctrina vero iudicium publica duntaxat auctoritate ferri potest. Quare tamen fieremur, cuique privato Dei spiritum assistere, ut semetipsum privatim regat, non ut quid credere, quid tenere ex Religione debeat, ( quod praesentis instituti non est ) nec dum propterea consequens foret, ut ex officio de doctrina iudicium ferre posset, quo pacto Sacerdotes id possunt. Hoc enim privati esset hominis, istud publici, & auctoritate praecedentis. Equid vero tam infusum, quam ut quolibet homines baptismate tinctos, futores, tabernarios, Caprimulgos, ceterosque vix media animae parte utentes, doctrinae iudices habeamus?

Potestatem orandi pro populo singulis adjudicat Lutherus, quod oratio Dominica communis sit, omnesque pro nobis invicem orare jubeamur. Sed & id ludicrum est. Aliud quippe est, privatim ex officio charitatis pro fratribus orationes fundere, aliud publicum in Ecclesia sequestrum agere, publicas orationes e loco sacro recitare, supplicationes populi, uti publicum advocatum decet, Deo offerre: quod Sacerdotum singulare munus est.

Consecrandi demum potestatem universis fidelibus asserit, eo Christi Domini fretus Oraculo *Lucae 22. Hoc facite in meam commemorationem*: quo consecrandae Eucharistiae potestas a Christo D. facta est. Infeliciter tamen in probationem Lutherus ingreditur; neque enim ad singulos fideles verba haec diriguntur, sed ad solos Apostolos, qui Christo tunc commentales aderant.

Restat concionandi munus, de quo speciatim ac paulo fusius Lutherus agit, ut & illud singulis Christianis, ac ipsis etiam mulieribus vindicet. Quocirca illud in primis, *1. ad Cor. 14. v. 26. v. 31. venditat: Unusquisque vestrum psalmum habet, linguam habet, Doctrinam habet, Apocalypsim habet* . . . Potestis omnes per singulos prophetare. Sed aberrat profecto toto Caelo novus Ecclesiae Reformator, non enim singulos fideles Paulus alloquitur, quasi illorum quilibet iis donis abundet, quae eo loci recententur. Siquidem & in eadem Epistola *Cap. 12.* divisiones gratiarum illarum esse docet Apostolus, nec omnes omnibus convenire; sed singulas singulis, prout eas Spiritus S. largitus est: Monetque ut qui illarum aliqua praediti sunt, ea ad Ecclesiae utilitatem religiose utantur. Alias consequens esset, ut & omnes fideles prophetarent, cum & Apostolus dicat, *potestis omnes per singulos prophetare*: quod nemo non videt esse falsissimum. Quamquam & id observare operae pretium est, in illis nascentis Ecclesiae primordiis, Spiritu S. donis etiam sensibilibus in fideles effundi, solum fuisse, quod minus in praesentia contingit: atque ita praepostere ad singulos nostrorum temporum fideles detorqueatur, quae de primis illis Religionis Christianae Professoribus referuntur.

Jam quod attinet ad Mulieres, quas perinde, ex Sacri baptismatis initiatione, Sacerdotes esse, omniumque Sacramentorum administrandorum ca-

pagae Lutherus existimat, unum est, quod ex Sacris Litteris, in eorum gratiam possit extendi: Celebratum scilicet illud Apostoli dictum, *ad Gal. 3. In Christo Jesu neque mas est, neque femina*: Quo olim Quintiliani & Pepuzeni abutebantur, ut promiscue & indiscriminatim mares, & feminas, in Episcopos & Sacerdotes inungerent. Verum qui sequentia Apostoli verba legerit, facile deprehendet, non de sacris Ministeriis in Ecclesia obeundis, Apostolum agere, quasi in iis nulla sit observanda distinctio Sexuum; sed agere de vocatione ad fidem, deque spiritali adoptione in filios Dei; qua in re nulla profecto est Sexuum praerogativa. Unde ait Apostolus, *In Christo Jesu neque mas est, neque femina; omnes enim filii Dei estis, per fidem, quae est in Christo Jesu.*

Huic insulso ineptoque Lutheranorum errori de mulieribus Sacrorum ministeriorum ordinumque capacibus favere potius videretur, quod in antiquis Ecclesiae Canonibus legitur; maxime vero Concilii Turonensis *II. Can. 12. & 13.* Concilii Antiodorensis *Can. 20. & 21.* Concilii Romani sub Gregorio *II. Can. 1.* & alterius Romani sub Zacharia *Can. 5.* ubi tam saepe Mulieres Episcopae, & Presbyterae nominantur: id inquam errori Lutheranorum favere videretur, nisi viris eruditus exploratum esset, Mulieres illas ita dictas esse Episcopas, & Presbyteras, non ab Officio ac Ministerio, quod obirent; Sed a viris suis, qui ad Episcopatum, vel Presbyteratum promoti fuerant; a quibus non amplius uxorum loco, sed fororum habebantur, perpetuae continentiae lege ipsis posita.

Difficilius fortasse fuerit emollire, quod de mulieribus Diaconissis legitur: Nedom enim earum mentio in antiquis Canonibus interdum occurrit; verum etiam Diaconissarum ordinationis meminere Tertullianus *lib. ad Uxor. Cap. 7.* Concilium Chalcidonense *Can. 15.* Concilium Trullanum *Can. 14.* Justinianus Imperator saepius in Novellis: Unde quispiam fortassis erueret, mulieres non fecus ac viros posse sacris ordinibus initiari. Verum ea Diaconissarum ordinatio, seu manuum impositio iis fieri solita, Sacramentalis non erat, sed nuda caeremonia, quemadmodum & hodie Abbatissarum benedictio. Nec illae Diaconissae Altaris Sacrificio ministrabant, nec sacra vasa trahebant, nec Evangelium recitabant, nec Dei verbum ex sугgestu praedicare fas illis erat; aliudve munus obire, quod esset Diaconorum proprium: Sed ea duntaxat pietatis officia Mulieribus praestabant, quae Diaconi viris. Viduarum scilicet ac virginum Pauperum curam agebant; Mulieribus adultis baptismum suscepturis, dum ad immersionem nudabantur, officii aderant; Mulierum confessum in Ecclesia ordinabant, aliaque id genus officia peragebant, quae ex Sacro Characterem minime pendebant. Imo cum nono vertente Saeculo ea in quibusdam Galliae locis corruptela inolevisset, ut Mulieres illae Diaconissae ad altaria impudenter irrumperent, & Sacram Eucharistiam populis ministrarent; quemadmodum tunc Viri Diaconi ministrare solebant: hunc abusum Synodus Parisiensis anno 829. celebrata repressit & emendavit. *Lib. 1. Cap. 45.* Uti & Synodus Rhenensis eadem aetate celebrata abusum alterum emendavit, quo Presbyteri in obeundo ministerio suo negligentissimi, Sacram Eucharistiam ad infirmos deferendum Diaconissis hujusmodi committebant. Cuius Synodi decretum extat *Cap. pervenit: dist. 2. de Consecratione.*

Clamat Lutherus mulierum advocatus, Sororem Moysis prophetasse *Exod. 15.* Deborah Israelen judicasse, *Judic. 4.* Philippo Diacono quatuor fuisse filias virginis prophetantes, *Actor. 27.* Sit

ita porro; quid ergo? Singularia haec dona facere, quae nihil tamen cum Sacerdotio commune habent, Prophetavit David, prophetavit Elias, prophetaverunt Elizeus, Daniel, Isaías, & alii, qui nequidem et Levitica tribu erant, ut Sacerdotio fungi possent. Non itaque ex Prophetiae dono nonnullis Mulieribus concessio, Sacerdotii dignitas colligi potest.

Supereff hic videamus num mulieres, quas incapaces ostendimus Sacrorum Ministeriorum, & ordinum, capaces saltem sint Sacrae jurisdictionis exercendae?

Cum Jurisdictioni nihil aliud sit, quam potestas jus dicendi sine iudicandi in causa Sacra, duplex jurisdictionis distinctio est; altera quidem Canonica, & Ecclesiastica, qua scilicet iudicatur in Causis Ecclesiasticis ad ordinem hierarchicum spectantibus: Altera mere Monastica, qua iudicatur in causis pure Monasticis, & ad disciplinam regularem spectantibus. Posterioris istius capaces omnino sunt Mulieres, non prioris.

Patet hoc, exemplo Abbatissarum nonnullarum, maxime vero generalis Archimandrite ordinis Fontebraldensis, cui cum obedientiam voveant tam Monachi illius ordinis quam Moniales, ipsa vicissim in omnes jurisdictionem Monasticam exercent, iisque jus dicit in causis ad disciplinam re-

gularem atque Monasticam spectantibus. Non item in aliis ad ordinem hierarchicum pertinentibus. Nec enim in subditos qualescumque suos, seu viros seu feminas, sententias ferre potest excommunicationis, aut suspensionis, aut interdicti, aliasve Canonicae Sententiae pronuciare, Quemadmodum contingit in aliis nonnullis virorum religiosorum institutis, in quibus superiores, repositi, priores, guardiani laici quandoque sunt.

In contrarium tamen videtur esse, quod in laudato ordine Fontebraldensi, Priorissa ex indulto Paschalis II. facultatem habeant, approbandi, ad confessiones suarum monialium excipendas, quemcumque Sacerdotem extraneum, ab Ordinario illius Dioecesis minime approbatum; modo tamen in quadam alia Christiani orbis Dioecesi fuerit approbatus. Porro approbare quempiam ad confessiones, actus est Jurisdictionis Ecclesiasticae. Posunt ergo ( inquiet aliquis ) Mulieres Jurisdictionem Ecclesiasticam exercere.

Respondeo; iis in Casibus Priorissam non approbare ad Confessiones Monialium excipendas extraneum illum Sacerdotem, sed Paschalem II. cum approbasse qui a Priorissa delectus designatusque esset in posterum. Adeo ut a Priorissa fiat designatio personae, & ab Apostolica Sede facta sit approbatio, dataque absolventi facultas.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Sacramentis in particulari.

PRAELECTIO I.

*Baptisma quid sit exponitur; Aquam veram ac naturalem necessariam solumque baptismatis materiam esse, demonstratur.*

**E**Xoluta de Sacramentis in universum, seu ut Schola loquitur de Sacramentis in genere, prolixiori tractatione, de iisdem speciatim dicendum venit. In quo quidem pertrahendo argumento occurrit primo in limine baptismatis Sacramentum, quod ceterorum omnium ianuam Ecclesia passim appellat, sine quo jus nullum ad caetera suscipienda hominibus esse potest.

Immenus sim, si quot quantisque titulis a Patribus insignitur, productis illorum oraculis, recensere velim. Ut enim vulgare baptismi nomen omittam, quod immersionem, & ablationem latine sonat, uti plus satis omnibus notum: Illuminationis, & fidei Sacramentum saepius a Patribus dicitur, quod in eo fides uti celeste lumen animi infundatur: Sacramentum regenerationis, quod ejus ope ex aqua & Spiritu S. renascamur in Christo quotquot ira Filii nati sumus: Sacramentum invocationis, quia novam ex eo vitam inimus: Sacramentum expurgationis, quia veter in eo fermentum expurgamus, ut simus nova conspersio: Sacramentum sepulturae & mortis Christi, quia Salvatoris nostri mortem ac sepulturam repraesentat: Quin etiam Circumcisionis Sacramentum a D. Chrysothomo non semel nuncupatum est, Apostoli phrasim usurpante ad Colos. *II. in quo & circumcisi estis circumcissione non manu facta, in expultatione Corporis carnis, sed in circumcissione Christi consensu & in baptismo.*

Baptismi Naturam brevi definitione complexus

est Doctor Angelicus, quam & caeteri pene omnes Scholae Magistri suis usus consecrarunt: *Baptismus est ablutio corporis exterior sub prescripta formula verborum, ad internam animae mundationem.*

Quin Sacramenti a Christo D. instituti titulo gaudeat, a nemine quod sciam vocatur in Controuerfiam: quare de illius partibus nobis est disputandum: ac primo de materia, de qua nonnulla ab Haereticis mota lis est, in praesentia dicemus: Tum de forma in sequentibus lectionibus prolixius disputabimus.

Aquam uti materiam in baptismate conferendo nequaquam adhibendam esse, quondam alias fabulati sunt Manichaei, teste D. Augustino *libro de Haeresibus Cap. 46.* Quid tamen aquae vice adhiberent, nuspian proditum est. Horum error ex capitali altero errore derivabatur: Cum enim aquam caeterasque creaturas corporeas, non a Deo sed a Diabolo precreatas sibi fingerent Manichaei, consequens profecto erat, ut aquam sanctificandam animae instrumentum esse non posse contenderent. Manichaeis paulo verecundiores extiterit Marcionitas, qui etsi creaturas corporeas, atque adeo aquam ipsam a malo genio procreatas effutiret, aquam tamen in baptismate, ob expressam Christi preceptum adhibebant; liquet id ex Theodoro *lib. 1. haereticarum fabularum*, ubi delirum senem Marcionitam se vidisse ait, aquam ultro in conferendo baptismate usurpantem, quamquam eam uti Satanarum opus, usque adeo execraretur, ut ipse ipsius sputo potius, quam aqua faciem ablueret.

Manichaeorum, & Marcionitarum errori successit Seleucianorum delirium, quibus baptisma non aqua, sed igne conferre libuit. Fidem rei faciunt Philastrius & Augustinus *lib. de Haeresibus Cap. 59.* Quo pacto utquam arte Baptismus igneus conferretur ab eis, satis nescio; nisi quod apud